



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXXVI. Quanta ex Zelotypiæ & iræ vitio, præsertim in matrimonijs,
mala oria[n]tur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

concumbitur, atque ita frangitur fides, qua etiam in rebus corporeis, & abiectis, magnum animi bonum est, & ideo eam saluti quoque corporali, qua etiam vita ista continetur, certum est debere preponi. Illud quis putare posset, in hoc tamen coniugium cælibatui præstare, quòd in isto pronior sit lapsus, rarior in illo, ob remedium incontinentiæ, quod in eo habetur: respondet S. Chryso-
 stomus: *Pudicitiam is qui uxorem habet, facile servare posse videtur, quippe solatio non minimo suffultus; ceterum in reliquis nulla comparatio est. Verùm sic quoque longe plures videas lapsos ex coniugatorum, quàm Monachorum ordine. Neque enim tam multi ex monasterijs ad matrimonia accedunt, quàm ex ingali toro se ad scortare recipiunt.*

S. Chryso-
 lib. 3. contr.
 Monast. Vi-
 tuperat.

C A P V T XXXVI.

Quanta ex zelotypia & ira vitio, præsertim in matrimo-
 nijs, mala oriuntur?

MT, vitiorum occasione, possunt exereeri virtutes; ita vicissim quotidie, occasione virtutum vitia exercen-
 tur. Quare etiam, quemadmodum alij mœchis ve-
 niam dantes sunt patientes; ita alij castis atque innocentibus non illarum, sed sua culpa irascentes, dum crimen fingunt, in crimen incidunt. Siquidem non Helenas tantum matrimonia habent, sed & Penelopas, & Lucretias, quæ fidem tori sacro-
 sanctam servant; & tamen non sunt in matrimonio beatæ. Ni-
 mirum, quos nequit humani generis hostis in adulteria pellice-
 re, impellit in suspiciones adulteriorum; ob quas suspiciones vulgò ignotas, coniuges utique tribulationem carnis habent, & sæpe funestum exitum. Romanus ille, amicis castigantibus, quòd pudica diuiti, formosâq, uxori nuncium remississet: pede porrecto,
Hic quoque, inquit, calcus pulcher aspectu est, ac nonus, sed nemo scit, ubi me premat. Non crimine tantum premuntur coniuges, sed etiam criminis suspicione. Itaque iustus Deus permittit, eiusmodi suspiciones, non modò vt consors, & pars innocens matrimonij voluptatem, patiendi materia temperet; sed etiam vt suspiciosos, ipsa sua suspicione plectat: ac temere in-
 judicia

I.

Plutarch. in
 conigialib.
 præcept.

Idem ibid.

Iob. 5. 2.
Iob. 18. 4.S. Dorothei.
serm. 8.

II.

Arenbek. &
Andr. Anno
elo. cc. lxxi.
Vitus Ebersp.
Anno. 1555.
Erford. anal.
elo. cc. lxxv.
Hund. Me-
trop. 215. Ra-
der. p. 2. Ba-
nar. S.

judicia ruentes, judicijs suis afflictos erudiat. Quod si etiam alteri coniugum ira, & furor dominetur, in qua plerumque suscipio, velut scintilla in flammam, per iudicium firmum, erumpit; tum jam ad extrema mala devenitur. Qua de causa olim, qui Iunoni nuptiali, seu pronuba, sacrificarunt, et sel non cum reliqua confecerunt victima, sed exemptum, apud altare, abiecerunt, Quo instituto, legis author obscure significavit, coniugio nunquam debere bilem iramque interesse. Concordia, pax, & amor coniugum, quod quasi duorum est jugum, suaue reddunt; si autem suspicioni locus detur, facile, velut ex ovo vipera prodit, iudicium, perfectum; ex iudicio, tanquam ex vipera, omne malum, & corporis, & animæ. De corpore illud legimus: *Vere stultum interficit iracundia*: de anima istud: *Qui perdis animam in furore tuo*. Ortum & progressum huius furoris, apta similitudine expressit S. Dorotheus, per illum, qui vult ignem excitare. Is enim exigua pruna, aut scintillis parvis stramen primum, tum ligna superponens, tam diu sufflat, donec ignis erumpat. Vbi 1. fumus. 2. flamma. 3. pruna e lignis. 4. carbones fiunt. Quod diabolus facere, dum rixas, discordias, neces ipsas vult, inter coniuges accendere, in certo ac tragico exemplo ostendam.

Historiam quidem non magnæ fidei author Aventinus refert, sed non idcirco falsa est; cum ab authore malo et si nulla narrationi fides & autoritas addatur, tamen etiam ad rem non possit, si illa habeat testes alios omni exceptione maiores. Referunt ergo eandem Arenbekius, Andreas Presbyter, Vitus Eberspergensis, Erfordiani annales, Hundius, & tabula Donawerdana MSS. & alij. Ex Epitaphio Donawerdano constat Anno M. CC. LXVI. eam contigisse, & quidem inter magnos Ludouico Severo Boiorum Duci, Comiti Palatino Rheni Othonis filio, patri Ludouici Imperatoris præfecto prætorio ad Rhenum, Maria Henrici Landgrauij Hassiæ & Thuringiæ filia, ex illustrissima Brabantinorum Principum stirpe oriunda, in matrimonium fuit data. Virgo æque moribus ac sanguine nobilis, neque minus ob pudicitiam, quam formam pretiosa. Fuit id initio lætum & felix matrimonium, mansissetque tale, si ipse Ludouicus domi manere potuisset. Sed, ut plerumque

longa

longa coniugum absentia, vel non reperit multas Penelopas, quæ ita domi contra procos, sicut Ulysses foris contra hostes, pugnent; vel aliquid aliud serit infortuniorum; ita & hic contigit. Infestabant tunc Rhenum prædones, ut neque itinera, neque coloni, neque accolæ possent sua tueri. Inierunt igitur ciuitates Rheni fœdus cum Ludouico, qui vires suas illuc attulit, & contra latrones fortiter fecit; nam captos vel occidit, vel in fugam abegit, & excisis receptaculis eorum, Rheno pacem, Rhenanis tranquillitatem reddidit.

Erat, ea tempestate, Werdea Sueuorum, nunc Donawerda vulgò appellata, per Conradum olim Hierosolymorum & Sicilia regem, Boio centum viginti octo millibus aureorum, cum alijs oppidis, foris, & pagis oppignorata. Ibi ergo Ludouicus in bellum iturus, Mariam nouam nuptam collocauit: ut tantisper, cum Elifabetha Sicilia regina, tempus iucundiùs traduceret. Dum Princeps domo absens, ad Rhenum, militat; etiam contra illum foris, & contra vxorem illius domi Orcus militauit. Et iuuat illum heri absentia, animus successu ferocis, & feruidæ ætatis ardens genius. Agebat enim tum sextum & vigesimum annum Ludouicus. Hic mihi jam considerate artes cacodæmonis, quibus, inter coniuges, & quoscumque suspicionibus nimis indulgentes, incendia maxima solet propagare. A minimo velut à scintilla incipit. Sed nihil est ita minimum, quod non possit grandescere. Et hoc debet esse coniugibus documentum, ut quidem parua, quæ patiuntur, magni nequaquam faciunt; nihil tamen ita paruum esse existiment, quo ipsi se offensionem putent alteri parituros. Maria igitur Brabantina, Werdæ, pro occasione, binas litteras exarauit, vnas ad Ludouicum, alteras ad Ruchonem seu Hirsutum, Comitem Siluestrem, ex Othonis Wittelspachij stirpe natum. Et, quia rudis tabellarius legere inscriptionem non poterat, litteras ad maritum rubra, ad Comitem nigra cera signatas, hoc ipso discrimine dignoscendas tradidit. Illæ ad coniugem familiaritatis; istæ ad Comitem humanitatis testes fuerunt. O infelix femina, quàm longè satius fuisset, minùs hinc te humanam exitisse! Nam, etsi bona mente scripsisti, non tamen

K k k

eadem

eadem mente accepit sine epistola tua. Siquidem error nun-
cij, in exitium tuum cessit. Mala is erat memoria, nec amplius
recordabatur, utri utram epistolam tradi oporteret. Itaque
ordinem litterarum inuertit, & Ruchoni in scriptas Ludouico
portexit; Ludouico destinatas Ruchoni traditurus.

Hæc erat scintilla, cui, in focum præuillimæ imaginatio-
nis incidenti, Ludouicus illico variarum rationum, cogitatio-
num, & euentuum, velut stramen ac ligna superiniecit; Stygia
suggestore, alia super alia ingerente ac fuffante. Sed didicisset
Ludouicus principijs obstare; si tentationibus occurrere; si re-
primere suspiciones; si iudicia suffrenare; scintillam memo-
extinxisset. Sed ætas, & animus præceps, non admisit mole-
rationem. Et, *Nunquid, hæc est coniugis mea manna; hoc sigillum
Muriæ meæ;* inquit: *Ad Ruchonem scribit? me præceps? Et
quis est Ruchon? quis ego? quid noua nuptia feci, ut alium me habe-
ret chariorem?* Eiusmodi cogitationibus, velut fuffatione,
scintilla coepit fumum gignere, seu animæ incalescentis turba-
tionem, & ancipitem pugnam mentis; quæ utique, agitatione
vehementi, incendunt cor, &, instar fumi ignem præcedentis,
oculos rationis offuscant, affectuque ferociente, intellectum
ita obnubilant, ut non agnoscat, se præcipitari, iuxta illud:
*Turbatus est à furore oculus meus; & conturbatus est in ira oculus
meus, anima mea, & venter meus.* Quin & Echnici vox est: *Ne
per nebulam corpora, sic per iram res videntur maiores.* Certè, qui
aliquid ferium vult agere, strepitu externo impeditur; quando
magis interior turbatio iræ mentem abducat à rectè judican-
do? Hinc ira, teste S: Gregorio, *intelligentia lucem subtrahit,
cum mentem permouendo confundit.* Nam, ob commotionem
caloris, velociter ad vindictam impellentis, impetus iræ iudi-
cium rationis præoccupat, neque perfectè rationem audiens,
neque audiri sinens. Quod Ludouico contigit; cui etsi incide-
bat in mentem, litteras alteri, & adeò honesto viro ac satrape
scriptas, non sine grauib; causis aperiendas; tamen, curiosissi-
ma suspitione stimulante, atque explorandi causa, eas refig-
nauit. Quas cum, pari impotentia, auidus properante oculo,
legisset, & animo perturbato, sensum eam non satis affecto-

Pfal. 6. 8.
Pfal. 30. 10.
Plutarch. l. de
ira cohibend.

S. Greg. 5.
Moral. c. 31.

tus esset; illico deteriora subesse, & se lupum auribus tenere
 ratus, crescentibus iudicij tenebris, magis coepit excacari; exi-
 stimans se clarè justam causam deprehendisse irascendi. Nimi-
 rum, nulli ira sua videtur iniusta, teste S. Augustino; unde tan-
 tò pertinaciùs, prætextu iustitiæ, expetit ultionem: &, vt S.
 Gregorius ait: *omne, quod furor suggerit, rectum putat.* Qua de
 causa, in diuinis libris, iratus *stultus* vocatur, & ira dicitur, in
sinu stulti requiescere. Stultus enim est, qui eam admittit, eaq;
 admittit, magis stultescit; amittit enim lumen sapientiæ, & ex-
 tinguit diuinæ gratiæ splendorem. Huius enim affectus *fumi*
 (vt Ioan. Damascenus loquitur) *sunt vapores fellis, qui amari-
 cando turbant.*

S. Augustin.
 in Psal. 149.

S. Gregor. 1. 5.
 Mor. cap. 30.
 Iob. 5. 2.
 Eccl. 7. 10.

S. Io. Damasc.
 l. 2. de fide.
 cap. 16.

Iuxta vetus prouerbium, *fumo flamma proxima est.* Quare
 etiam in hoc Principe, ex ea, quam dixi perturbatione, ira
 flamma, seu feruor, & furiosus cordis impetus emicuit; quo
 toto corpore commotus, accenso sanguine, iram primùm in
 ipsam tabellarium concepit; & quidem eam iram, quæ merito
 posset cum prunis ardentibus comparari. Nam morosè ardens,
 (quiesc tertius iræ gradus) illicò decreuit, iniuriam, quam sibi
 illatam putabat, ultione atroci vindicare. Tunc ergo miser
 tabellarius, qui congiarium Principe datore dignum se spera-
 bat reportaturum; vidit longè altud agi; mutari scilicet legen-
 tis vultum; rugas ire in caperatam frontem; scintillas ex ocu-
 lis proflire; igne genas suffundi; & linguam, præ dolore, in-
 contumelias solui non posse. Potuit tamen solui in fatalem
 sententiam. Iussit enim eum ex templo Ludouicus, tanquam
 lenonem & perductorem, ferro obtruncari; licet planè intio-
 centem, & quid rerum ageretur in litteris ignorantem. O su-
 spicio, quid non suggeris? ô iudicium temerarium, quantum
 erras? ô ira, quid non facis? ô furor quantum excedis mensu-
 ram æquitatis? Quoties, dum iniuriam te accepisse iudicas,
 iniuriam infers? Quoties innocentiam perdis, dum inuadis
 innocentes? Quam cæco pede incedis? Quid enim censes?
 Num vxor tua, si vel maximè rea esset, amores suos tabellario
 patefaciet? homini plebeio, simplici, ignoto? Alias artes ha-
 bent, quæ volunt amare. Longè cautiùs decipiunt. Et demus,

nuncium conscium fuisse, nunquid, tibi epistolam hanc reddendo, perfidiam suam prodidisset? Denique, nisi te furor exoculasset, nunquid nuncium interrogare, aut per alios examinare, vel quæstioni subijcere, debuisses? Vides in quantam flammam iræ scintilla inundarit? Neque hic insania defauit: in nigros carbones, hoc est, in consummatam & radicatam iram; & continuam quandam iniuriæ memoriam transijt, atque in eiusmodi odium commutata est, vt cogitationibus vindictæ, tanquam dulci pabulo, sese oblectaret; rationibusque nullis vindictæ sumendæ posset exsatiari. Igitur, nuncio iniuste & præcipitanter interemto, Princeps furore incensus, & meditatione suppliciorum plenus, relictis Ducibus, militibus, castris, omnibusque negotijs publicis sepositis, ab Rheno, citatis equis, paucis comitatus, maximis itineribus, Donawerdam aduolat, vindictæque imminens, præter omnium expectationem, vxori infestus adest. Verè igni ira comparatur; morari non patitur. Nam quàm primùm aliquid contra nos factum est, vel factum esse apprehendimus, statim, dum id recens est, implacabiles & sæui sumus; & ira correpti vnumus; atque hoc ipsum, quòd, ira finita, non punimus, sed languemus. Cum quidem id nobis euenit, quod ignauis nautis, qui tranquillo tempore, in statione tenent naues, vento orto, nauigant cum periculo: etenim nos rationi in puniendo languorem & mollitiem tribuentes, festinamus ad pœnam, ira tanquam subito vento impellente.

Expectasses, ô Princeps, tranquillitatem; tutius nauigasses, sed verè ira magis accenditur ijs, quæ irari agunt, ac dicunt. Itaq; etiam cogitatio, & itineris festinatione incalescentis animus, & decreta vindictæ executio totum occupabant. In oculis ardor, pallor in vultu, in toto ore furor gliscebatur & hærebat. Obuiam accurrunt omnes; terrentur aspectu omnes. Trepidant famuli, obstupescit coniux, miratur regina sororum. Principis attonita, quid infausti frater afferat; aut quid molatur: nam similis erat aliquid vel auso, vel ausuro. Facile viderunt, beneuolum non aduenisse. Dum, summa expectatione, vniuersi attendunt, quem exitum tam dirus aspectus habiturus esset, aut in quem fulmen Iuppiter sparsurus; ecce obuium

arcis

Plutarch. lib.
de ira cohi-
bend.

arcis Praefectum, & in Domini aduenientis seruitia iatentum, neque sibi quidquam aut conscium, aut metuentem, per satellitem, ex improviso mandat è vita exturbari, postea corripit uxorem iubet; & *Nempe tu es Bethsabea illa, inquit, qui, me, Vix tuo, in papilionibus morante, domi Dauidem reperisti, cum quo deliciareris, etiam foris, & per litteras, plus, quam honestam decet, familiares? Haccine fides est tui? dum ego absens, in castris, ab latronibus purgo prouinciam, tu hostem in arcem, in domum, in cubiculum, in lectum accersis, ac regiam tuam iuxta ac meam stirpem, tam fædo flagitio contaminas? Quid tibi cum Ruchone negotij? an, uti maiores illius Casarem in lecto decumbentem, domi sua, impio ferro, conciderunt, ita & me tu, per nepotem adulterum tecum in toro decumbentem, Egisthao ritu, tanquã altera domi Clytemnestra Agamemnonem, inter hostes tutum, inter suos proditum elimines? Antequam parricidium, i, licitor, ferrum expedi, corripere adulteram, feri sceleratum caput, in quo & uterus plectetur.*

Non lata, sed præcipitata hæc sententia fuit. Verùm ira sic suadet, & properare iubet Tartareus hostis, metuens, ne furor cum tempore resideat, aut reus ad defensionem sui admittus & auditus, ostendat, non in suo facto, sed in irascentis animo culpam esse. Non tantum pœna, sed etiam modus pœnæ justus esse debet. Iustus autem esse non potest, nisi non damnetur pars inaudita. Ut ergo, qui fuerat iudicando temerarius, etiam damnando esset iniustus; aures quoq; non habuit, postquam mentem amisit Princeps. Quippe hinc Mariam omnia excusantem, & Diuum hominumq; fidem implorantem, restantemq; suam innocentiam surdus tamen reiecit; uti neque quicquam vel labryme coniugis innocentis, vel familia trepidantis metus, vel sororis regina ad fratris pedes iacentis preces proficerent. Orabat hac duocem, ne tam præcipiti ira in cadem rueret insomnis: daret spacium animo: omnia, postero die, iniustus executurum. Et prorsus ita est, sicut Phocion Athenienses, audita Alexandri morte, non sinebat prematurè insurgere, neque celeriter credere, sed aiebat: Si hodie, Athenienses, mortuus est Alexander, etiam cras, ac perendie erit mortuus. Sic qui ad capiendum supplicium properat iratus, debet sibi subjicere: si hodie iste meruit pœnam, etiam cras erit, & perendie in noxa; neque

Plutarch. loc
cit.

in eo mali quidquam est, si ferius luit flagitium, sed si celeriter punius perpetuo videatur insons. Quid putemus, Ludovicum facere debuisse? utique par erat, ut tam immitem sententiam procrastinaret? Sed clausæ erant aures, obstrepente ira; sicut plerumque irati ne audire quidem volunt excusantem, nedum ut rationes ad animum admittant. Et, cum irascamur omnibus, à quibus læsos nos putamus, tamen amicis, si nos offenderint, vel non iuuerint, magis succensemus, cum eorum despectio indignior nobis videatur; iuxta illud, *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique*; ira Principis in eam immittissima fuit, quam antea videbatur impensissimè dilexisse, ac diligere debuisse. Itaque, frustra orante coniuge, deprecante forore, aula tota illachrymante, *vindicem suppliciorum exequi iubet imperium. Qui, lamentante tota domo, principem feminam, ab omni flagitio alienam, & prorsus insonem, gladio percussit, & san- Etum caput ab cervicibus amputat.* Hoc habet. hoc Deus ultè permittit. Sic innocens iniuriam tam atrocem æquanimiter passa ad cælum tetendit, ut iam inter sanctos Bavariæ numeretur. Sic iræ nimium indulgens, se ipsum, quod dicitur, cum domo combussit. Quemadmodum & Saul Dauidem occidere volens, ne à filio suo Ionatha regni successionem tolleret, in Ionatham Filium conuersus arripuit lanceam, ut percuteret eum. Cur? *Iratus est Saul aduersus Ionatham: ira excæcavit illum, ut non videret, se illum ipsum tollere velle, propter quem stabiliendum, Dauidem persequebatur.* Verè Chrystomus dixit: *Sibi ipsis imperare non valent iracundi; & qui à furere & ira vincuntur, similes sunt navi, quæ in media tempestate, à gubernatore destituta submergitur, unde quæque procellis in eam ingressis: ira enim quasi fulmen, & tempestas quedam in animam irrumpit, seruientemq; sibi stupidum & amentem reddit.*

Immo iracundus similis est rapi, quæ ex alto monte a uulsa, summo impetu lapsa sternit, quidquid occurrit, & se pariter, & obuia quæque perdit. Quare postquàm Ludovicus adulterij suspitione semel à ratione cadens, irâ præcipitatus est, non potuit amplius retineri eius impetus. Occiderat tabellarium inscium, quid ferret, alioqui utique cautorem futurum;

Psal. 96.

1. Reg. 20.

S. Chryst. ser.
de mansuetud.

301

rum; immo occidit in tabellario & pauperem illius vxorem & liberos, qui se, patre defuncto, alere non potuerunt. Occiderat virum nobilem arcis Praefectum, aequè innocentem. Occidit demum & coniugem nobilissimam atque innocentissimam. Nunquid furor tanto sanguine poterat restingui? Videte flammam, considerate ignem, intuemini prunas nondum extinctas. Nam facinus Ludouici hîc non stetit. *Helicam Brennebergiam nobilem è gynacéo virginem, tanquam consciam, pugnione traiecit: Tandem omnes egressa limites sanitia aula praesident clarissimam & innocentissimam maronam, ex alta turris arce precipitem deturbari imperat.* Huc vsque ira ascendit; huc vsque ducit suspicio; ita crescit iudicium, vt non sistant in vno; omnes censentur peccauisse, qui peccare potuerunt. Quia autem, vt docet Aristoteles, ira non est ad mortuos, quia non dolent; quod tamè maxime quaerunt irati in eis, quibus irascuntur; idcirco tandem *quinque funeribus iralitis furor indignantis Ludouici resedit: Rucho, errore cognito, principisq; cade monitus, pro- uincia excessit, ubique suam & Mariae casta innocentiam lachrymis, verbis, & tabulis contestatus causam omnibus probauit.*

Non probauit etiam causam suam Ludouicus, quem aiunt, *prima statim nocte, qua eadem secuta est, tantis curarum fluctibus agitatam, ut non solum somnum capere non posset, sed, urgentibus Mariae manibus, adeo exagitaretur, ut qui iuuenili decoraq; coma, (sexum enim & vigesimum agebat annum) barbaq; florente, se cubitum contulisset, per noctem ita incannerit, uti senem septuagenarium mane referret.* Itaque, posteaquã ira mente decellerat, magnitudinem facinoris, fera aestimatione, perspexit; sanguineque vxoris eruentus vehementer erubuit. *Male nempe humanis ingenijs natura consuluit, quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus.* Et sicut ea, quæ mente captus temerariè fecit, postea fecisse dolet; sic quæ irati facimus, postea, cum ad nos redimus, lachrymis & gemitu, & dolore digna iudicamus. O quoties, in ira dicimus, aut facimus, cuius nos postea placatos subit pœnitudo; optaremusque, nos nunquam iratos fuisse! *Ergo funere, ad S. Crucis Verdea, condito, Dux Roman, ut agro animo medicinam quareret, profectus, facinus,*

apud

Aristot. 2.
Rhet. c. 3.

Curtius lib. 8.
de clade
Clyti.

apud Pontificem Alexandrum IV. edidit, pacemq; Numinis & dæ-
 licæ veniam exoravit. Discite à Ludouico pœnitentiam agere,
 qui in suspicando, temerè iudicando, & præproperè irascendo,
 Ludouicum imitami. Discite, quàm antiqua res sit peregrina-
 tio. Discite, quàm Pontifices & antiqui Christiani pro ma-
 gnis iniurijs putauerint faciendam satisfactionem. Siquidem
 Ludouicus, ad placandam sibi Mariæ animam & parricidium
 expiandum, iussus est Religiosis S. Brunonis sedilibus domicilium pa-
 nere. Sed quia id genus hominum in Boica nullum erat, Cisterci-
 sum contubernio amplum & nobile cœnobium in Principis Campo,
 (Fürstfeld dicto) qui inter Augustam & Monachium est, con-
 didit, prædijs & annuo victu auxit, quod hodieq; floret. Dicit non
 potest, quàm multi hodieq; impotenter irascantur, & quàm
 grandes alijs iniurias faciant, quos si non ferro, saltem verbo;
 si non ense, saltem corde occidunt, quibus pestem, mortem,
 fulmina & Diras, & omnia mala imprecantur. Num de satis-
 factione cogitant? num templa, sacella, altaria fundant, au-
 ornant? se ipsos, filios, & filias suas vsque ad superbiam, vsq;
 ad inuidiam, vsque ad inopiam, supra statum, & opes, ornant;
 & ornant, vt insidias faciant & patiantur: at, vt vel togam, in
 qua diu satis tripudiarunt; vel linteum altari tegendo; vel
 nummum, nescio, quo titulo, acceptum, & vtique Deo debi-
 tum offerant; hoc paucis in mentem venit: immo si possunt,
 aliorum liberalitatem impedire; si possunt ipsa templa, subdu-
 ctis decimis; aut duplicato pretio, si ad templorum vsum aliquid
 fabricant, spoliare, non omittunt. Cùm tamen vtique etiam
 de templis suis dicturus sit Christus: nudus eram, & vestisus mi.
 Quàm crebræ sunt inter coniuges eiusmodi cogitationes, sus-
 piciones, querelæ vindictæ? quàm rara satisfactio?

III

Verùm hæc omnia vobis ipsis relinquo cogitanda. Illud,
 illud, exemplum ad nos clamat, vt, dum sapimus, cogitemus,
 quibus modis iram in nobis mitigare velimus. Nam irato lo-
 qui nihil prodest. Sicut enim stultus nullis rationibus moue-
 tur, cùm sit à ratione alienus; ita in vanum laborat, qui vult
 iracundum, dum in fermento est, cohibere. Facilius in tempe-
 state & alto mari navis vacua aliunde gubernatorem recipiet, quàm
 homo

homo ira feruens atque fluctuans alienam admittat orationem: se suam intus rationem non habeat preparatam. Sed quemadmodum, qui obsidionem expectant, desperatis externis auxilijs intro necessaria congerunt atque deponunt: ita maxime oportet, quo aduersus iram faciunt, eminus à Philosophia desumpta in animum comportare. Quippe non facile facultas dabitur, ea inferendi, cum eorum usum tempus postulabit. Non enim audit, ob tumultum, tunc anima, que feris sunt, nisi intus suam rationem habeat, quasi moderatorem. Itaque jam, dum sumus placidi, remedia circumspeciamus, & vel ex hoc ipso exemplo sumamus. Quorum primum est, errare nos plerumque, cum ira mentem turbat, & appetitus vindictæ iudicium impedit, neque sinit audire nos perfecte veram rationem. Alterum est, errorem non esse modicum; nam & illum torquet, quem possidet; & illi insidiatur, à quo se læsum existimat; & ad auersiones, ad odia, ad diuortia, ad homicidia procedit. Denique est janua omnium vitiiorum. Tertium est, quia ira hominem à se ire facit, & in bestiam, in Furiam, in diabolum transmutat, omnibus merito fugiendum & detestandum. Tristes oculi iracundi, ait S. Chrysostomus, os obtortum, labia mobilia, & tumentia, lingua polluta, nemini parcens, mens in excessu posita, indecens habitus, radij multum. Vide vultus à demonibus pressorum, ebriorum, & furentium, & dicito, in quo differat ab illis, nonne furoris torum est? Quot blasphemias, quot sacramenta, quot Diras effundit iratus? Sylla dixit: Sicut Hippocrates eum morbum periculosissimum ait esse; in quo egrorantis facies sui dissimillima fiat; ita sentiens iratos maxime mutare faciem, colorem, incessum, vocem, veluti imaginem quandam eius affectionis animo mihi conformari, admodum indignam rem existimans, si ita terribilis & abalienatus aliquando conspicerer ab amicis, & uxore, & filiabus, non visum modo ferus & insolens, sed & vocem edens immanem atque asperam: sicut ipse in quosdam incidissem, qui, præ ira, neque mores, neque formam, neque sermonis elegantiam, neque in colloquio comitatem seruare poterant. Cum autem ira, discordia, odium, & dissensiones, apud omnes mortales, plurimum mali efficiant; in matrimonijs tamen sunt longè perniciosissima. quemadmodum & concordia est anima coniugiorum. Et teste Euripide,

LII

Quarta

S. Chrysof.
hom. 30. ad
pop.Euripid. in
Medea.

Quam maxima existit salus,

Cum uxor cum viro non dissideat.

Quartum est, cum hi sint effectus grauissimi, & alij complures, causas tamen plerasque iræ esse longè leuissimas; vt hic fuit, in Ludouico, scriptio litterarum, nunciij imprudentia; epistola commutatio. Et in alijs grauissimarum suspicionum, quam causæ sunt? Diſterium, iocus, risus, nutus, alterius detractio, narratio deprauata. Et irascuntur non solum hostibus, & inimicis, sed familiaribus, qui eis seruiunt, & amicis, qui coniunctissimi sunt; loco dilectionis, loco beneficiorum. Qui irascuntur? *Maxime irascitur auarus dispensatori, gula deditus coco; zelotypus uxori, ambitiosus maledicenti; semiebriy, & natura cholericis, ac qui consuetudine irasci didicerunt.* Depone iram, mitte gulam; zelum eijce; ambitionem execrare; ebrietatem vitæ naturam doma, & consuetudinem consuetudini oppone; sic vinces.

IV.

S. Hieronymus
ep. 2. ad Ne-
potianum.

Quintum, quod maximè hic ad rem pertinet, est, vt coniuges, ne minimam quidem dent causam aliquid de se suspicandi; multò autem magis caueant, ne, ob minimam causam, de altero suspicentur. Minimam causam etiam vitandas esse, docuit S. Hieronymus, cuius sunt illa: *Crebra munuscula, & sordariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, ac degustatos cibos, blandasq; & dulces litterulas, sanctus amor non habet.* Nocuit multis, aspici: nocuit, salutari: nocuit, nominasse suspectum: nocuit donum misisse, aut visam esse, quasi misisset: nocuit aliquid perdidisse, quod apud alterum videretur. S. Ita anulum digito exutum deposuerat, quem rapuit de fenestra auis, inuenit is, qui marito Itæ à stabulis erat, & velut fortunæ symbolum digito insertum gestauit. Hunc vbi vidit herus, crimen suspicatus, equo ad caudam seruum alligari iussit, atque raprum distrahi; coniugem verò è Tokhenburgensi arce, ac turri, quæ præaltæ rupi erat imposita præcipitavit innocentem; quam ille quidem elisam est arbitratus, Angeli verò susceperunt cadentem, atque, ceruo prælucente, in eremum perduxerunt, Christo sanctiùs, quàm marito, seruituram. Ita Deus præco-
cis iræ delictum, & iniustam suspicionem, deduxit in occasio-
nem

nem vitæ sanctioris. Quantum postea erroris sui virum pœnituit, quando, inter venandum, in cælestem hanc prædam incidit? Sed serò fundit lachrymas crocodilus. Itaque intellexit tandem, & agnouit, se ipsum quoque nimis præcipitem fuisse, in coniuge præcipitanda.

Quod & alteri illi contigit. Anno Christi 1528. Basileæ civis quidam cetera honestus, & locuples, Christophorus Bongartnerus, in eo solùm culpæ non expers, quòd vxorem suam, de adulterio suspectam haberet, nullo sufficiente argumento. Addidit vel casus, vel Orcus nouam suspicandi ansam. Quippe eam suspicionem auxit; quòd in famuli sui indusio ligulas sericas inuenerit, quas suas esse nouerat. Adit vxorem ira atque indignatione commotus; extorquet vi ab ea, vt fateatur, se cum famulo rem habuisse: id si faciat, promittit impunitatem; sin neget, præsentem minatur mortem. Illa fatetur, quod non fecerat, sed mox fugit ad sörorem in pagum. Attamen amicorum rogatu mulier conciliata marito redijt ad ædes illius. Ea nocte fertur ad commune admissa cubile. Atqui verò, altera die, quæ erat Dominica, ablegatâ famulâ, & liberis, ex priore coniuge susceptis, primùm grauidam vxorem confodit. Inde filiam vix quadrimam interemit. Mox epistolam scripsit ad senatum, & ter inuocato nomine IESU, è summa ædium suarum parte se præcipitem dedit, fractis ceruicibus. Epistola illa continebat, quid, & quo animo fecisset. Porro de eo licet mortuo, graue est sumtum supplicium; & corpus eius fractis ossibus sublimi rotæ impositum. Animam, quis dubitet in infernum cecidisse? Qua de causâ, in quantam iste se coniecit calamitatem? Ligula eum serica mouit, quam suam fuisse putauit: quasi non alia illi similis emi potuisset? aut illa ipsa ab herou amissa, à famulo quiverit inueniri?

Nimirum zelotypia perturbationum omnium est truculentissima, quæ ita iudicium euertit hominis, vt ex musca faciat elephantem, omniaque habeat, quæ circa vxorem aguntur, suspecta; tantoque maior est hæc perturbatio, quanto intemperantior amor, ex quo originem trahit. Quò enim vehementius aliquid amatur, eò contentius repellit, quidquid ei vel

LII 2

contra-

V. SURIUS IN
CHRON. AD AN.
1528.

VI

S. Augustin.
lib. 83. qq. 9.
35. & 36.

S. Thom. 1. 2.
q. 28. a. 4. in c.

contrarium est, vel repugnat. Amor quippe *quidem morus est in amatum*, vt S. Augustinus loquitur. Quare, quisquis impetu se aliquid amat, aut concupiscit, contra omnia ea, quæ consecutioni, aut quietæ fruitioni eius, quod amatur, repugnant, solent commoueri. Hinc coniuges zelo exardescunt, *ne per aliorum consortium impediatur singularitas, quam in vxore quarunt*, aut in viro. Haud absurde igitur de Stoicorum sententia, Cicero Zelotypiam, in genere, finit, *agritudinem ex hoc, quod alter quæque potitur eo quod quis concupiscit*, amore scilicet concupiscentiæ, ex quo etiam zelus inuidiæ pullulat, in illis, qui, quia excellere immoderate appetunt, concitantur in eos, qui dum excellere videntur, eorum quoque videntur excellentiæ obstare. Sed longè seuior est zelus ille, qui coniuges vrit: facilius enim quis eiusdem secum honoris, quam eiusdem tori consortem patitur. Duos Consules vna vrbs habere potest, aut duos Gubernatores. Vni femina nulla gens concessit duos maritos, Atque idcirco rectius competit huic zelo illa eius descriptio, quod metus sit, *ne quis habeat commune, quod tuum vnius esse vultis*. Qui metus, tanquam pestilentia matrimoniorum, est eliminandus. Nam suspiciones parit, gignit discordias; excat mentes; procreat infidias; præcipitat animos in querelas, vindictas, exdes. Non est, vbi prudentia regit amorem: semper adheret ijs, qui vxores suas depereunt, atque in eas, non stultorum tantum ritu, sed etiam, *sicut equus & mulus, insaniunt*.

VII.

Num. 5. 14.

Quamobrem, vt huic nimio amori medicinam faceret Deus, populo suo Israëlítico peculiare Zelotypiæ leges præscripsit. *Si spiritus Zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspitione appetitur; adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem sari farina hordeacea: non fundet supra eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium Zelotypiæ est, & oblatio inuestigans adulterium. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram Domino, assumetque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terra de pavimento tabernaculi in eam &c. adiurabitque eam, & dicet: Si non dormiuit vir alienus tecum, & si non polluta es, deserto mariti toro, non te nocent*

cebunt aqua ista amarissima, in quas maledicta congesti &c. Ita, quodammodo, quasi per continuum miraculum, olim, apud Iudeos, adulterij scelus explorabatur: partim, ne si factum, quod suspicabantur, probare non possent Zelotypi, vxores occiderent; partim, vt amota omni suspicione ac metu, coniuges inter sese læto animo serenoque vitam agerent. Apud Christianos quoq; olim mulieres suspectæ de adulterio se purgabant ferri candentis innoxio tactu calcatuue, quod de S. Kunigunda Imperatrice legimus, aut aqua oleoue feruenti; vt alibi ostendimus. Quin & per duella. Sed hæc, nisi peculiari certoque Dei instinctu à sanctis facta, nunc non probantur; neque enim sunt à Deo instituta. Quare, tanquam quædam Dei tentatio, damnantur. Illa autem vetera Iudæorum, velut leges carimoniales, dudum sunt abolita. Aboleatur & nimius ac insanus amor; satis tunc prospectum erit, ne in tragœdias erumpat. Quem in finem Tiraquellus hanc quoque legem ponit

Tiraquell.
leg. xvi. con-
nub.

OMNIUM TETERRIMAM, PERNICIOSISSIMAM, EXITIOSISSIMAM, FUGIANTO.
Oritur hic affectus 1. à natura & genio loci. Sunt enim aliæ atque aliæ nationes magis suspiciosa, & in hac præsertim re, diffidentes, quod Bodinus Italis & Hispanis ascribit; & de quadam gente, in Germania habetur, quæ ne minimum quidem alieni viri, cum vxoribus colloquium vult tolerare. Plutarchus memorat, apud Persas, eum non tantum, qui appellasset, & attigisset regis pellicem, sed & qui in itinere propius præteruectus esset, capite multatum fuisse. 2. Oritur zelotypia à quorundam nimia sapientia. C. Sulpitius cum sapere supra ceteros mortales vellet, vxorem suam repudiavit, quod aperto capite ædes egressa esset: *Lex*, inquebat, *tibi meos vnus oculos præfinit, quibus formam tuam approbes: his esto speciosa, non aliorum oculus placens.* 3. Est & hæc imprudentia stultorum errans, vt omnem vmbra timeant, & vxores suas existiment vniversis amabiles videri, æquæ ac sibi. Non sinunt ergo illas salutari, non patiuntur quoquam prodire. Quin &, si in templum concedant, metuunt. Est itaq; verum illud: *Qui expellit mulierem*

VIII.

Plutarch, in
Artaxerxe.

Prou. 14. 8.

Prou. 18. 22.

LII 3

bonana

Prov. 24.9.

bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est, & impius. Sed & ille non sapit, qui, quotquot domum suam frequentant, fures esse arbitratur: stultorumque est, putare, omnes homines esse baculi sui insidiatores. Hæc cogitatio stulti peccatum est. Ita Iustina nobilissima Romana puella ac virgo, ætatis suæ formosas omnes elegantia vultus supergressa, cum locupleti quidem, sed stolido, & furenti viro in matrimonium esset tradita; de excellenti illa specie in suspensionem marito venit. Is enim candidissimam vxoris ceruicem conspicatus, inclinantis se ad calceum exuendum, furore ex Zelotypia correptus, teneram puellam & nouam coniugem obruncauit: quod ipse pati merebatur, nisi truncus antè fuisset. Appositæ proinde de epitaphio illius subscriptum est:

Discite ab exemplo Iustine, discite patres;

Ne nubat fatuo filia vestra viro.

IX.

4. Arripit Zelotypia illos non rarò, qui, quod ipsi faciunt, de alijs quoque libenter suspicantur. Talis erat castissimus ille Catullus, qui Gellium vt riualem suam malignè aspiciebat, quòd is à Lesbia pulcher dictus esset: quia & ipse, quas pulchras nominabat, amabat. Hinc maceratus ita alloquebatur semet ipsum.

Gellius est pulcher. quid ni? quem Lesbia malit,

Quam te, cum tota gente, Catulle, tua.

Neque noua est hæc suspicandi causa. Nam & apud alium Poëtam.

Esse metus cepit. facies, etasq; iubebant,

Crederè adulterium. prohibebant credere mores.

Ouid. lib. 7.
Metam.

5. Galenus feminas tradit huic vicio maximè obnoxias, præsertim prægnantes, ægritudine quadam: & cuncta timemus amantes. 6. Etiam iuuenes, & ferè adhuc pueri in matrimonio collocati, faciles sunt ad suspicandum, & proni ad querelas. Non rarò ita æstuant, vt mori malint, si speratà non potiantur. Ita C. Vibius adolescens intemperato amore percitus Putillia Sex. Paella gratissima, quòd alteri viro tradita, non sustinens, cruento gladio sibi met mortem conscivit. 7. Extra dubium est, Zelotypiæ procuratorem esse commuam humani generis inimicum.

eum. Qui si, inter coniuges, dissidiam fecit, vicit. Dissidij autem præcipua est causa suspicio fidei violata. 8. Denique & Deus, in pœnam, sæpe permittit, vt coniuges sentiant tribulationes carnis, inter quas non minima est Zelotypia, quæ cum sola cruciet, tamen multa secum trahit alia mala.

Poëta sanè fingunt, Circem veneficam, eum ægrè ferret Scyllam nympham à Glauco amari, fontem, in quo se illa lauabat, veneno infecisse, cuius virtute Scylla fit in monstrum marinū commutata. Quot viri faminæq; veneno pereunt, aut etiam ferro, ob criminis huius suspicionem? Quot, dum suspicionem tracti, curiosè in comparem inquirunt, morte luunt suam curiositatem? Cyanippum Thessalum vxor Leuconoa Zelotypa suspectum habebat, quasi in siluis aliud, quàm feras venaretur. Exijt, inter fruteta se abscondit; latentem, in venatione, canes inuenerunt, & tanquam in feram irruentes frustatim lacerauerunt. Ite curiosæ, state ad ianuas & fenestras, arbitramini maritorum colloquia; obseruate mutus; quid consequemini? Si canes vobis pepercerint, linguæ hominum lacerabunt. Suspectas enim & ipsas esse oportere dicent, quæ omnia suspicantur. Qualis enim quisque est, talem ferè & alterum censet esse. Bella est & alia fabula Cephali, inter venandum, Auram in refrigerium vocantis, quam cum vxor eius Procris Nympham esse arbitraretur, in virgultis se recondidit, contemplatura, cuiusnam virginis cupiditate Cephalus flagraret. Motis autem hinc inde virgultis maritus in his feram latere putans, emissio iaculo, coniugem inscius peremit. Tanti stetit diffidentia curiositas. Verùm hæc licet suspicio vxoruna æruerit, tamen illis, maritis non volentibus, coneigerunt. Multi suspicione præcipites, atque ira feroces in iniurias vindictas excanduerunt; & quidem magni, quos par erat, nihil gtaue, sine consilio, statuere; cuius rei supra in Ludouico Seuero exemplum deduximus, hîc autem aliud ex Imperatoria aula subiungemus.

Cum, in florentissimo statu pietatis & pacis Augusti Theodosii Eudocia & Pulcheria, cum sororibus, Constantinopoli, versarentur, orbe terrarum tam iniustati exempli spectaculo percusso stupen-

reg

X.

Ouid. lib. 7,
Metam.

XI.

Matth. Ra-
der. in aula
S. Theodosij

Pulcheriz &
Eudociæ cap.
xyl.

teq; spes esse poterat, aureum postliminio seculum rediturum. Ad principum enim non tam leges & edicta, quam facta & vitam respicere mortales, & componere se consueverunt. Cum ecce tibi tantam gratiarum & virtutum concordiam, pietatem & religionem, infortiorum furia Erynnis inuidia & discordiarum procreatrix nec ferri, nec pati diutius potuit, totoq; Acheronte contra hos soles & hanc arcem sanctitatis atque concordia excito, caput serere, primum, in regia, offensarum, dubia fidei, inoris, suspitionis semina: deinde mox in apertum proferre. Initium hoc fuit inter Theodosium & Eudociam, ab hoc principio natum. In Theophaniorum celebritate, inperatorum cum solemnibus comitatu pompaq; ad sanctam adem egresso, primo peregrinus fortunatq; tenuis pomum Phrygium inusitata magnitudinis donum offert. Imperator, cum proceribus, mali generosi mollem admiratus, centum quinquaginta aureos pauperi, pro dono, reposit, munusq; Eudocia Augusta misit; Eudocia Paulino agro tum a pedibus, quem propter excellentem cum eruditionem, tum virtutem egregie charum habebat, presertim quod nuptiarum fuisset paranympus, & in ea re Augustam non parum iuisset. Sed eheu! causa mali semper malum, discordia pomum illud, non concordia fuit. Paulinus ignarus pomum ab Augusto ad Augustam profectum, remittit Theodosio, tanquam rarum & peregrinum generosissimi fructus miraculum, & signum officij sui, in Imperatorem. Imperator sequens rem interpretatus, agnovit illico pomum, quod Eudocia miserat, a Paulino donatum. Trahit factum in suspitionem adulterij, servari etiam malum iubet. Accersitam Eudociam rogat, ubi pomum sit antea a se missum? Eudocia perculsa verebatur, ne si Paulinum nominaret, Imperator alia suspicaretur, se edisse affirmat. Itane inquit Imperator, ex animi tui sententia comedisti? Comedi, inquit. Per salutem tuam, ait Imperator, comedisti? Deierat illa: per salutem, imo exitium suum. Profert inde pomum Theodosius, Paulinum eadem nocte interficit, ab Eudocia abnoctat. Deiurium enim auxerat conceptam antea suspitionem. Absinet ab omni coniugis consuetudine, & omnia per Pulcheriam transigit. qua res gemino telo confixit animum Eudocia, quod in suam contumeliam Paulinum interfectum seiret, & se contempta, omnia per Pulcheriam confici. Huc usque conscendit suspicio, & zelotypia, ut etiam regum atque Impera-

Imperatorum solia euertat; vt innocentes deiiciat; vt ex ipsa virtute venenum eliciat. Eudocia ægrotantis memor, genium suum defraudauerat, vt in morbo jacenti solatium aspergeret inuitati fructus nouitate. Quin & beneficio grata, munus misit Paulino benefactori. Vtitur hæc occasione Stygius hostis, & tempestatem illi coquit, de beneficentia. Quin & Paulinus ipse Imperatori suspectus esse non debuisset, eo ipso, quia Paulinus, si sibi malè conscius fuisset, nequaquam Imperatori munus misisset, ab Imperatrice acceptum. Quanquam, in Eudocia, clarè monentur feminae, ne maritis suis mentiantur. Suspectum est enim quidquid mendacio tectum deprehenditur. Falsa esset Imperatrix, se ægrotanti benefactori suo, grati animi beneuolentiã, pomum misisse, jam omnem ex Imperatoris animo suspicionem aboleuisset. Sed hæc est mundi vanitas: ipsa etiam Imperia ab erroribus pendent, & leuissimis causis amittuntur.

Quamobrem minùs mirandum est, si, etiam inter priuatos, causæ friuolæ tragicos saepe exitus fortiuntur. Audiui scæpius, fuisse feminam, quæ, cum castissimum ac pietatissimi coniugem haberet, muliebri curiositate, indagãrit, quid ille quotidie, Deum precari solitaret. Habebat is, in Musæo, aram, in qua Christus humani generis Redemptor cruci suffixus positus erat: ante eam crucem, precatorium libellum relinquebat, & quidem plerumque, vt sit, apertum, ne labor esset in requirendo. Inuenit infelix mulier plerumque Psalmos Dauidis, qui *pœnitentiales* vocantur. Eos nimirum vir in promptu esse volebat. Quid ibi zizaniorum egit seminator? Mulieri suggessit, *Non de nihilo, maritum illius eo orandi genere uti: hos Psalmos à Dauide, ob adulterium pœnitentiam agente, fuisse compositos ac recitatos.* Colligit inde zelotypa vxor, eandem, etiam marito suo, causam esse oportere; vt cui crimen commune esset, cum Dauide, eadem precandi, & pœnitendi formulã vteretur. Queritur vicinis; loget, desitet se vnã ac maritum. Et (vt contingit, si imperitus medicus consultitur) apud suspiciosas mulierculas, suspicionem non sanatam, sed nutritam & nimium quantum auctam reportat. Quæ eò miseram discruciauit, vt

M m m

sibi

XII.

sibi ipsa præ merore, violentas manus inferret. Quid denique securum erit, inter coniuges; si pietas trahitur in adulterij suspicionem? Si, inter Christianos, hæc exempla reperiuntur, quid miramur Trebiam Fibustio lachrymas & æternos luctus reliquisse, quæ, extremo zelo, in furorem conuerso amore, semet, ferro per medium pectus transacto, necauit? Talis bellua est zelotypia; turbat coniugium, dissociat coniuges, exitijs pessimis virum feminamq; affligit; vt merito hunc capiti huius, è D. Chrysofomo epilogum possim apponere.

Poliphilus in
hyperotoma-
chia.

XIII.
S. Chrysof.
lib. de virgi-
nit. cap. 52.

Si quis coniugatus ad zelotypiam propensus sit, etiam si falsa aliqua specie, eo morbo correptus sit; quid huiusmodi homine miserabilis esse potest? Quod praelium? quam tempestatem? cum huiusmodi suspicionis, vel furore comparantes, eius imaginem proferebant omnia doloris, omnia suspicionis, omnia seditionis, ac perturbationis referta sunt. Et qui eo furore corripitur, nihilo melius afficitur, quam qui aut agitantur à demonibus, aut mente capiuntur, aduocantur, & insultat, & stomachatur omnibus. In obuium omnino, & innocentissimum quemque semper exercet iracundiam; siue is seruus sit, siue filius, siue quicumque alius: voluptas autem omnis excluditur, angorum, molestiarum, & lacrymarum sunt omnia plena; etiam si domi se contineat, si in publicum prodeat, si peregrinetur, ubique malis tentatur, qua quouis aculeo grauius eum animum mordent & stimulant, nec ipsi ullam quietis partem capere patiuntur, neque verò morbus tristitiam solum, sed etiam iram interabilem ingenerare solet, & hac per se singula captus perdere queunt. Cum verò concurrunt omnia ad hominem assidue opprimendum & affligendum, neque ei minimum dant respirandi locum, quo non id est mortis genere calamitosius? Nam vel si summam quis egestatem commemorarit, si morbum insanabilem, si ignem, si ferrum, nihil illi attulerit par; atque id, tantum hi, qui sunt experti, bene nouerunt; nemo autem oratione complecti potest mali huius magnitudinem incredibilem; cum eam vir, quam habet charam, suspectam sibi habere cogatur, & quid illi solatio esse potest? Siue enim somnum, siue cibum capere, non tam cibus mensam, quam pestiferis venenis refertam putabit. Quæ cum animaduertisset Salomon, Dura, inquit, sicut infernus, amulatio. Et idem, amulationis plenus eius viri animus non

Cant. 6. 8.
Prouerb. 6.

parce

paret in iudicij die, nec ullo pretio inimicitias deponet, neque multis muneribus placabitur. Ea enim huius morbi insania est, ut, neque sumpto de eo supplicio, à quo laesus sit, dolorem ager abijciat. Itaque multi, adultero sepe sibi sublato, neque iram, neque languorem tollere potuerunt. Sunt qui, etiam uxore occisa, ydem manserint, vel maiori etiam rogo consumpti sint; ac vir quidem, etiamsi nihil verum repererit, intus tamen miseris vivat. Multò autem graviora, quàm ea sint, qua sustinet vir, praefert misera & infelix uxor. Cùm enim eum, qui se, in omnibus molestis, consolari deberet, & à quo defensionem expectare oportebat, inmaniorem in se, atque omnium sibi inimicissimum esse videat, quid reliquum expectare potest? ad quem confugiet? ubi pracluso portu, & innumerabilibus molibus oppositis referto, malorum finem reperiat, tum etiam iniquioribus utitur servis, & ancillis, quàm viro. Cùm enim suspectum per se, & ingratum est hoc hominum genus: tum verò, si ad maiorem licentiam pervenerint, & dominos inter se dissentire intellexerint; magnam ad insolentiam ansam sumunt illorum discordiam. Etenim illis, per summam licentiam, addere, afferre de suo, & comminisci licet, quaecumque voluerint; tum quoque suis criminationibus maiorem dant materiam suspicioni. Nam ut semel animus graui hoc morbo occupatus est, facile credit omnia, & aequè se prabet omnibus attentum, ut qui calumniatorem à veraci diiudicare nequeat; quin etiam huiusmodi homines eos certiores auctores habent, qui suspicionem maximè augent, quam qui eam minuere student, sic illi reliquum est, ut contubernales homines non secus ac fugitivos seruos, & eorum uxores timere necessario. Quod igitur tempus à lacrymis vacuum erit? quæ nox? quæ lux? qui festus dies, quando libera à gemitu, à fletu & lamentationibus poterit esse? Undique mina, contumelia, conuiciâ, iactantur, tum à viro, sine causa, timente; tum à seruis, omnia denique tremoris & timoris referta. Non enim aditus, & exitus solum curiosius obseruantur: sed in verba etiam, in adspectum, in suspiria, studiosissime inquiritur, atque illam oportet vel saxo immobiliorem cuncta ferre silentio, & grauiorem in modum, quam qui vinculis constricti sent, in thalamo herere perpetuo; vel si exire, loqui, aut ingemiscere velit, omnium reddere rationem, causamq; apud corruptos illos iudices, dicere; ancillas, inquam, & seruos. Inter hæc

autem mala, si infinitam vim diuitiarum, si mensas conquisi ipsius
 cibis exstructas, si feruorum greges, si nominis splendorem, si magnam
 potentiam & summam gloriam, si maiorem claritatem & amplitudi-
 nem ponere velis, si nihil omnino relinuas earum, quae expectandam
 vitam videntur efficere, sed omnibus vnum in locum diligenter colla-
 tis, & cum hac molestia comparatis, non apparebit quidem vlla ca-
 rum rerum species voluptatis, sed sicut in ingens aliquod pelagus par-
 uam ignis incidentis scintillam sic illam interire par est. Hac autem
 ita sunt, cum vir eam habet suspicionem. Si quando verò incidere
 vxor in huiusmodi perturbationem, neque enim id raro accidere solet,
 vir quidem facilius eam perferet, quam vxor; plus autem doloris
 ad illam miseram redundabit, neque enim isdem armis in eum, qui
 sibi suspectus sit, poterit uti: nam quis tulerit, ut, sua vxoris iussu,
 domi perpetuo commoretur? aut quis è numero feruorum in domi-
 num curiosus audebit esse? Non igitur his machinationibus se ipsa
 consolari, neque iram querimonis euomere queat: nam ut eam vir
 semel fortè, aut iterum conquerentem ferat, sic si nullam fecerit que-
 rendi finem, citò eam doceat prestare id ferre silentio, & dolore tabe-
 scere. Et hac quidem de suspicionibus. Sin autem à veris causis
 perturbatio profisciscatur, vxorem è viri laesi manibus quis eripiet?
 Quin etiam his legibus suffragantibus adductam in iudicium omnium
 sibi charissimam coniugem ingulabit, ac vir quidem legum penam
 effugiet, at è superiori loco Dei iudicio condemnabitur. Hac autem
 omnia ab statu virginitalis longissimè sunt remota.

XIV.

Huc vsque Chrysostramus perorauit, pro virginitate.
 Qui potest capere, capiat. Qui non capit, coniugio se committat,
 atque in eo ita viuat, ut neque vxori præbeat vllam occasionem
 suspicandi; neque, si ab vxore aliquid dici audiat, aut fieri vi-
 deat, quod suspicionem dignum sit, à perturbatione se sinat su-
 perari, putetque, se id commeruisse; quando vel ipse similia
 commisit; vel suspicionibus insuevit frænos laxare; vel Deum
 aliò vocantem, & consilia meliora non est secutus. Denique in-
 mente esse debet, & multa in aures falsa posse venire, cum ipsi
 saepe oculi decipiantur; atque Iosepho Patriarchæ castissimo
 eiusmodi calumnia sit impacta; & bonis hominibus mala ci-
 tius excusari, quam iudicari, Sanctissimum exemplum est;

Gen. 39. 13.

Cuma

Cum esset desponsata mater Christi Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in utero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Quo exemplo monentur coniuges, ne statim, quacunque etiam de causa, vel vir uxorem, vel vxor virum infamet. Præstat iniuriam pati, quam facere. Cur euulgas, miser, quod nondum scis esse verum? Et quidem id, quod, etsi verum esset, meliùs occultè corrigi fortasse posset, quam publica traduci infamatione. Tu autem vxor, tu marite, si innocens es, & tamen hac calumnia affigeris, Deipara exemplum imitare, quæ immensa patientia siluit, neque se ipsam, verbo vilo excusauit, sed Deo innocentia suæ causam excusationemque omnem commisit, meruitque habere Angelum excusatorem. Quod si verò velectò constat, peccasse maritum, aut vxorem deliquisse, scito, in patientia, clypeum esse, cum alia omnia defunt arma. Tertia Emilia Africani prioris vxor, mater Cornelia Gracchorum, tanta fuit comitatis & patientia, ut cum sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulauerit: ne domitorem orbis Africani femina impudicitia reum ageret. Tantumq; a vindicta mens eius abfuit, ut post mortem Africani manumissam ancillam in matrimonium liberti suo daret.

Matth. 1. 18.

Val. Maxim. lib. 6. c. 7.

C A P V T XXXVII.

Sterilitas proli opposita, an Matrimonio, aut coniugijs officiat?

 Atis dixisse mihi videor de ijs, quæ *Fidem, primum* matrimonij *bonum*, bono Deo permittente, temerant. Venio nunc ad alterum matrimonij *bonum*, quod est *Proles*, cuius præcipuè gratia matrimonia incuntur. Inde, teste Gellio, *matrimony* nomen est, quia mulier nubit, vt mater efficiatur. *Matrimonium*, inquit S. Augustinus, *ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam vt mater fiat.* Nam, si bestia amanti suos fetus, & gignendus conueniunt liberis, vt Arnobius ait, cur non hominibus quoque coniugia eligentibus proli subrogandæ sit cura, & dulcedo, cum fuerit pro-

I.

Gell. 1. 8. c. 6.

S. August. 1. 19 cont. Faust. cap. 26.

Arnob. aduers. gent. 1. 7.

M m m 3 creata